



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Innocentio XI. Ad Innocentium XII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

38. Ad exercitium pietatis &c. Erectio, Fundatio, & Deputatio, & Dotatio
Hospitii Apostolici Pauperum Invalidorum in Urbe instituti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74849)

gregationis Cardinalium Judex Delegatus super eisdem cultu immemorabili dictæ Beatæ JOANNÆ cum scientia, & tolerantia Ordinariorum exhibito, nec non casu, ut præfertur, excepto sententiam protulit; demum verò ad enixas preces Charissimi in Christo Filii Nostri Petri Portugallie itidem, & Algarbiorum Regis Illustris, accedentibus etiam supplicationibus Venerabilium Fratrum Episcoporum, nec non Dilectorum Filiorum Religiosorum, Senatuum, Collegiorum, Academiarum, & Universitatum Regni Lusitanici, & ad iteratas instantias Dilecti pariter Filii Paulini Bernardini Fratris expressè professi Ordinis Prædicatorum, in Sacra Theologia Magistri, Causæ Beatificationis, seu Canonizationis hujusmodi Postulatoris in eadem Congregatione Cardinalium proposito dubio: An Sententia supradicta esset confirmanda in casu, & ad effectum, de quo agebatur, relativè contentis in dictis Processibus, eisque seriò, & diligenter discussis, atque examinatis, dicta Congregatio Cardinalium, audito pariter in scriptis, & in voce Dilecto Filio Promotore Fidei, de cultu immemorabili constare prædictamque Sententiam confirmandam esse censuerit.

§. 2. Hinc est, quod Nos piis, & devotis Petri Regis supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis favorabiliter annuere cupientes, Decretum à memorata Cardinalium Congregatione editum, ut præfertur, quod scilicet de cultu immemorabili dictæ Beatæ JOANNÆ, & casu excepto à Decretis præfati Urbani Prædecessoris constet, Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate præfata Congregationis Cardinalium.

§. 3. Decernentes easdem præfatas Litteras firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suoque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & spectabit, infuturum plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; Ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut ipsarum præsentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 4. Aprilis 1693. Pontificatus Nostri Anno secundo.

J. Franciscus Card. Albanus.

Confirmatio Pontificis dicti Decreti.

Clausula sublata.

Derogationes.

Fides Transumptorum.

Dat. 4. Aprilis 1693 P. A. 2.

XXXVII.

Constitutio ut Officium, & Missa Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ cum Octava ubique Terrarum in posterum ab omnibus utriusque sexus Christianis tam Secularibus, quam Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur, de præcepto recitetur.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

IN excelsa Sedis Apostolicæ specula, meritis licet imparibus, per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam constituti, muneris Nostri esse arbitra-

mur, ut gloriosissimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ cultum, & venerationem in Terris, quantum Nobis ex alto conceditur, augere jugiter satagamus. Itaque pro singulari Nostra erga eandem Beatissimam atque Augulissimam Virginem Cœli Reginam devotione, nec non etiam piis, & enixis Charissimi in Christo Filii Nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici supplicationibus Nobis per Dilectum filium nobilem Virum Modernum Ducem de Medina Cœli pro eodem Carolo Rege apud Nos, & Sedem præfatam Oratorem super hoc humiliter porrectis, benignè inclinati, ut Officium, & Missa Conceptionis ejusdem Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ cum Octava, & lectionibus in Octavario Romano dudum à Congregatione tum existentium S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum approbato contentis, & à die octava ad decimam quintam Decembris ritè dispositis, quod jam pridem ex diversis ejusdem Sedis indultis, seu decretis in plerisque Christiani Orbis Provinciis, & Regnis recitati consuevit, ubique terrarum in posterum ab omnibus, & singulis utriusque sexus Christianis fidelibus, tam Secularibus, quam Regularibus, qui ad horas canonicas tenentur, de præcepto recitetur, auctoritate Apostolica tenore præsentium mandamus, & decernimus. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 15. Maji 1693. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

J. F. Card. Albanus.

Die, Mense, & Anno quibus supra dicta Constitutio affixa fuit ad valvas Principis Apostolorum, ad valvas Curie Innocentianæ in Monte Citorio, & in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Joannem Gracum Apostolicum Cursorem.

Pro D. Mag. Curforum Gregorius Staggius SS. D. N. Papæ Curforum Decanus.

Erectio, Fundatio, & Deputatio, & Dotatio Hospitalii Apostolici Pauperum Invalidorum in Urbe instituti.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

AD exercitium pietatis habentis juxta Apostolorum promissionem vitæ, quæ nunc est pariter, & futuræ, & præsertim Hospitalitatis, cujus studio intenti quandoque Angelos ipsos exceperunt hospitio, mentis Nostre oculis sedula meditatione convertentes, ut extremæ Pauperum invalidorum Almæ Urbis Nostre mendicari consulamur, voce illa Domini per Prophetam dicentis commonemur: Frange esurienti panem, & egenos, vagosque induc in domum tuam: Mandato itidem illo, quod Deus suo Populo Electo per Moysen injunxit, excitamur: Omnino indigens, & mendicus non erit inter vos: Magna demum timore corripimur, dum animo interim pendimus tremendum novissimæ discussionis examen, in quo Filius Hominis, cum in Sede Majestatis advenerit, singula in Pauperes pietatis, & charitatis opera sibi facta, aut abnegata rependet, illaque Electis, qui ea exercuerunt, memorabit comiter ad sempiternam retributionem, & gloriam, Repro-

De Officio & Missa cum Octava, prout in rubrica.

Dat. 15. Maji 1693. P. A. 2.

Publicatio

XXXVIII.

Procedimus ab obligatione subveniendi Pauperibus invalidis.

bis

1693.

Hospitale
Invalido-
rum Sixto
V. funda-
tum, &
alia Urbis
non suffi-
ciunt.

Diffra-
ctio-
nes fide-
lium tem-
pore divi-
norum
officiorum
ob mendi-
cantes.

Vita laxa
nonnullor-
um mendi-
cantium

Narrat in
struxisse
Palatium
Lateranense, &
in eo, & in
loco pio S.
Michaelis
Pauperes
collocasse.

bis autem, qui ea abnegarunt, exprobrabit acriter ad aeternam perditionem, & poenam.

§. 1. Sanè licet fel. rec. Sixtus Papa V. Prædecessor Noster providere fateretur, ne ulterius Mendici per Urbem præfatam dispersi, & vagantes victum quaerirent, indeque, ut eorundem animæ simul, & corporis saluti consulere, Domum hospitalem ad Mendicos hujusmodi utriusque sexus excipiendo, alendo, & vestiendos, propè Pontem Sixtum nuncupatum ad Tyberis ripam fundaverit, erexit, instituerit, & dotaverit; Quin in Urbe præfata quamplura alia, & quidem ditissima existant Hospitalia, Confraternitates, Conservatoria, Loca, & Opera pia pro variis Pauperum subventionibus instituta, ac valde considerabiles, & in dies excrecentes elemosynæ per Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, & Nos pariter dispensari consueverunt, & soleant; Nihilominus provida, & pia simul ejusdem Sixti Prædecessoris intentio, tum propter Domus præfate alioquin amplæ, sed omnes Mendicos non capientis, tum propter dotis, alioquin considerabiles, sed omnium Mendicorum sustentationi imparis, insufficientiam, tum propter præfati Hospitalis, vel institutum, vel usum recipiendi, & alendi dumtaxat Viros, & Mulieres, non autem Pueros, & Puellas, nec Pauperibus extra illud commorantibus subveniendi, præmeditatum tollendæ mendicationis effectum fortiri non valuit, immenso adhuc eorum superexistente numero, qui vel revera pauperes, & corpore, aut ætate invalidi, per se, aut per alios victum sibi quaerere non valentes, vel paupertatem, & invaliditatem simulantes, vel utcumque per se, aut aliis ad id obligatis victum quaerere non curantes, nedum per eandem Urbem mendicabant, sed in ipsis etiam Ecclesiis, in quibus ut plurimum reverentiæ erga Dei Domum, & Sanctissimum Eucharistiæ etiam expositum Sacramentum immemores, ejulabibus, querimoniis, & importunis petitionibus Fideles precibus, Sacrificio Missæ, & divinis Officiis intentos, distrahebant, quin nonnulli crapulæ, & vitii dediti, flagitiolam vitam agebant, filiosque similibus moribus imbutos educabant, ac vagi, certumque domicilium, & exinde proprium Parochum non habentes, nulliusque censuræ subiecti, quandoque etiam Sacramentis Ecclesiæ contra ejus præcepta refici, seu communi impune negligebant.

§. 2. Cupientes itaque pium, & salutare opus aliis à nonnullis Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostri, & præcipue rec. mem. Pio IV., & Gregorio XIII. inchoatum, semper tamen, ex eo, quod illi certos redditus pro alimentis Pauperum non assignaverat, irritò conatu dimissum, & ab eodem Sixto Prædecessore constitutum quidem, sed plenario, ut præfatur, destitutum effectum, ampliare, & quantum Nobis ab Alto conceditur, perficere, quo possemus Ecclesiarum reverentiæ consulere, animarum saluti prospicere, verè pauperibus invalidis subvenire, paupertatem, & invaliditatem simulantium fraudibus obviare, quorumcumque otiosè vivere eligentium desidia occurrere, ac salubriori ejusdem Urbis regimini providere, Vagos hujusmodi, & mendicantes omnes revera pauperes, & corpore, vel ætate invalidos, sibi que propriis labore, & industria victum quaerere non valentes, nec à quibus ali deberent, & possint, habentes, Viros nimirum, Mulieres, & Puellas in Lateranense Nostrum Palatium, Pueros verò in locum seu ædificium ad Tyberis ripam magnam nuncupatam, sub invocatione S. Michaelis hæcenus constructum, induximus, dictumque Palatium congrua suppellectile, ac necessariis, & opportunis utensilibus, & mobilibus, non mediocri sumptu comparatis, sufficienter instruximus, parique sumptu tali structurâ distinximus, ut Viri à Mulieribus, & Puellis in discretis, & propriis cujuslibet sexus

refectoriis, mansionibus, porticibus, atriis, cellis, Officiis, ingressibus, & scalis, ac in omnibus prorsus sejuncti, & separati commorari interim poterint, & in posterum possint. Et ne Conjugati, quos, seu quorum alterum hujusmodi paupertas, & invaliditas mendicare coegerant, subventionis Nostræ remaneret expertes, iisdem, licet etiam Hospitium præfatum commorantibus, alicujus elemosynæ subsidio, seu distributione providimus.

§. 3. Hinc ut ea, quæ, Domino bonorum omnium auctore inspirante, ad ejus majorem gloriam, proximique tum spirituales, tum corporalem salutem, & ædificationem incepimus, eodem incrementum dante, ad illam saltem, cui Cameræ Nostræ Apostolicæ viarii necessitatibus præfata, exiguæ vires suppetere hæcenus valuerunt, formam, subsistentiam, & perfectionem reducamus, majorique, quo possumus, commissæ Nobis divinitus auctoritatis munimine constabiliamus, ac propterea ne de infra scriptis Hospitii erectione, fundatione, donationibus, & unionibus, earumque veritate, tenore, validitate, subsistentia, perpetuitate, irrevocabilitate, & immutabilitate ullo unquam tempore, ullo jure, ullove modo, via, seu prætextu dubitari possit, seu contingat; Motu proprio, ex certa scientia, & matura deliberatione Nostri, deque Apostolicæ potestatis plenitudine Hospitium Apostolicum Pauperum invalidorum tenore præsentium perpetuò erigimus, fundamus, & constituimus, seu illud à Nobis jam inceptum, fundatum, & constitutum perpetuò approbamus, confirmamus, & innovamus, ac hujusmodi erectioni, fundationi, & constitutioni perpetuæ, inviolabilis, & irrefragabilis Apostolicæ firmitatis robor, & efficaciam adjicimus.

§. 4. Pro hujusmodi autem Pauperum invalidorum, Viros nimirum, & Mulierum, necnon Puellarum habitatione Palatium Apostolicum primariæ Nostræ Ecclesiæ Lateranensi ex uno latere coherens, situmque in platea, seu plateis pariter Lateranensibus nuncupatis olim à memorato Prædecessore pro habitatione Romanorum Pontificum, qui nihilominus subsequito centum, & ultra annorum intervallo inibi non habitarunt, ampla, & nobili structura olim ædificatum, jamdiu tamen, & præsertim nuper magna, & prompta reparatione in pluribus ejus partibus, etiam ruinam minantibus, indigens, & propterea aliquarum contignationum jam collapsarum innovatione, nonnullorum laquearum, fornicum, & murorum penè collabentium solidatione, & restauratione, plurimarum lignearum tum portarum, tum fenestrarum refectione, aliisque necessariis, & opportunis reparationibus à Nobis multisimam, magnificæ impensis fulcitum, solidatum, & instauratum, necnon ad præfatum Hospitii usum satis commodè reductum, illudque licet à piæ mem. Paulo Papa V. etiam Prædecessore nostro per suas in forma Brevis die octava Januarii Pontificatus sui anno quarto expeditas Litteras, Archiepiscopo, Capitulo, & Canonicis memoratæ Ecclesiæ pro eorundem Canoniorum habitatione perpetuò donatum, ab iisdem tamen non habitatum, illisque scientibus, & comiventibus à dicta Camera Apostolica jamdiu reassumptum, & in varios Stationis Militum, Læcomonii, seu Nosocomii tempore pestis, & ut plurimum Horrei ad reponendum, & conservandum Annonæ frumentum, aliisque similes usus reductum, quin ab ipsis etiam Pauperibus, qui inibi extremæ caritatis tempore alebantur, quandoque habitatum, & nihilominus ad majorem cautelam, & quatenus opus esset, à Ven. Fratre nostro Flavio Episcopo Portuensi S. R. E. Cardinale Chisio nuncupato, moderno Archiepiscopo, ac à dilectis filiis Capitulo, & Canonicis dictæ Ecclesiæ per acta Ludovici Martoli Notarii publici Curie dilecti filii nostri in Urbe Vicarii in spiritualibus Generalis,

Erigit,
fundat, &
constituit
Hospitium
Pauperum
Invalido-
rum.

Pro habi-
tatione
Pauperum
assignat, &
donat Pa-
latium La-
teranense
constitutum à Six-
to V. re-
stauratum
à Sua San-
citate.

Excipitur
quædam
pars pro
Pontificali
benedi-
ctione ne-
cessaria.

Applica-
tio Horti.
Domun-
cularum,
& Virida-
rii.

die prima Martii proximè præteriti retrodonatum, & restitutum, destinamus, assignamus, stabili-
mus, & constituimus; ad quem effectum nostro
sub die quinta Februarii pariter proximè præteriti
desuper confecto, & per Nos signato chirographo,
ac instrumento in ejus exequutionem mediante di-
lecto filio Josepho Paravicino nostro, & Camera
præfatæ Thesaurario Generali, per dilectum filium
Petrum Palmerium dictæ Camera Secretarium die
vigesima tertia ejusdem mensis Februarii rogato, Pa-
latium hujusmodi cum omnibus, & singulis ejus
juribus, membris, pertinentiis, usibus, & com-
moditatibus, exceptis tamen, & ad usum Pontifica-
lium functionum, & benedictionum, reservatis Xy-
sto ad eandem benedictionem extructo, & modica
ejusdem Palatii parte, juxta delineationem in præ-
fato Instrumento insertam, eidem Hospitio libe-
rè, gratis, & perpetuò donavimus, & assigna-
vimus.

§. 5. Quadam etiam nostra motu proprii cedu-
la sub datum quinto Idus dicti Mensis Februarii
quemdam Hortum ad dictam Ecclesiam Salvatoris,
seu S. Joannis in Laterano nuncupatam, seu ejus
Mensam Capitularem, aut ejusdem Capituli mas-
sam minutam itidem nuncupatam, spectantem,
propè dictam Ecclesiam mansiones canonicas, &
alios fines, necnon quandam domunculam cum suis
mansionibus, & viridario, juxta eandem Eccle-
siam, ejusque atrium majus, præfatumque hortum,
ad duos ejusdem Ecclesiæ Canonicatus, seu Præ-
bendas spectantem, à præfatis Ecclesia, seu Mensa,
aut massa, & respectivè à dictis duobus Canonicatibus,
seu præbendis, data tamen iisdem æquiva-
lenti, seu majori retributione, & cum eorum evi-
denti utilitate, perpetuò dismembravimus, & se-
paravimus, illumque, & illam sic dismembratam,
& dismembratam, cum omnibus, & singulis illo-
rum membris, dependentiis, & pertinentiis, om-
nibusque, & quibuscunque juribus, obventioni-
bus, & emolumentis universis, undecunque pro-
venientibus, Hospitio præfato, à quo, seu à præ-
dicto Palatio pauperum invalidorum habitationis
ad supradictos hortum, viridarium, & domuncu-
las mediante transitu super porticum magnam dic-
tæ Ecclesiæ Lateranensis de mandato nostro con-
structo, patet accessus, ad præfatorum pauperum
usum, commoditatem, & utilitatem perpetuò con-
cessimus, assignavimus, & applicavimus, iisdem-
que perpetuis dismembrationi, separationi, conces-
sioni, assignationi, & applicationi, Capitularis eo-
rundem Capituli, & Canonicorum præfatæ Eccle-
siæ, necnon particularis duorum Canonicorum,
prædictos duos Canonicatus, seu præbendas possi-
dentium, per dd. acta præfati Ludovici Martoli
eadem die prima mensis Martii proximè præteriti
accessit assensus.

Applica-
tio ædifi-
cii Ode-
scalchi S.
Michaelis
pro habi-
tatione
Puerorum

§. 6. Pro habitatione verò Puerorum ædificium à
quondam Carolo Thoma Odescalco Basilicæ Prin-
cipis Apostolorum, dum vixit, Canonico, à fun-
damentis ad Ripam Tyberis magnam nuncupa-
tam sub invocatione S. Michaelis constructum, &
ab eo sub protectione dilecti filii Nobilis viri Livii
Odescalchi Ducis Cere cum substitutione tamen ad
Nostrum favorem, quatenus simile opus pium Pue-
rorum ibidem institutum non cohtinuaretur, in ejus
testamenti, & codicillorum schedula, relictum, &
ex causa cessionis jurium in vim dictæ schedulæ com-
petentium, seu permissionis purificationis præfatæ
substitutionis, ad quam cessionem, seu purificatio-
nis permissionem idem Livius Dux sub considera-
tione, quòd Locus pius, ubi vix triginta Pueri
morabantur, in meliori forma continuari, & per-
petuari posset, & inibi pauperes Pueri in longè ma-
jori numero hactenus ad trecentos circiter ascenden-
te, sub regimine, seu comprehensione in Hospitio
Apostolico à Nobis, ut præfertur, fundato, do-
tato, & instituto, educari, & ali valerent, me-
diante publico instrumento per acta dilecti filii Jo-

Petri de Cajolis Notarii Capitolini die undecima
præfati mensis Martii rogato, cum omnibus, &
singulis bonis, juribus, membris, & pertinentiis
præfati Loci pii à memorato Carolo Thoma con-
structi, & instituti, à Nobis acquisitum, aliquaque
ex parte ad absolutum habitationis usum redactum,
& successivè Deo dante ampliandum, una cum con-
tigua vinea, seu orto, quam, seu quem interim
emere curavimus; perpetuò concedimus, assigna-
mus, & applicamus.

§. 7. Considerantes præterea, pauperes Pueros
Literatos nuncupatos domus, seu Hospitii à Leo-
nardo Cerusio vulgò nuncupato Litterato piè in-
stituti, in via Curfus ejusdem Urbis propè Mona-
sterium S. Sylvestri in Capite nuncupatum sitæ, seu
siti, uti pueros victum sibi quærere non valentes,
nisi ratione corporis, saltem ratione ætatis, inter
pauperes invalidos, & alios pueros Hospitio in-
validorum receptos connumerari, adscribi, & repu-
tari posse, ac propterea, ut sub iisdem pauperum
invalidorum gubernio, regimine, directione, &
administratione nutrirentur, & educarentur, ar-
tesque mechanicas, & præsertim opificium, seu
artem lanæ, quæ in dd. pauperum Literatorum
nuncupatorum domo, seu Hospitio non exerce-
bantur, in præfato Hospitio Apostolico pauperum
invalidorum discerent, & apprehenderent, con-
sentaneum fuisse, & fore: Propterea motu, scien-
tia, deliberatione, & potestatis plenitudine pari-
bus Domum, seu Hospitium pauperum Littera-
torum nuncupatorum hujusmodi, necnon quam-
cunque Congregationem, & protectionem per
quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores
nostros super eadem domo, seu eodem Hospitio
puerorum pauperum Litteratorum nuncupatorum
hujusmodi, illiusque bonorum, fructuum, redi-
tuum, ac proventuum administratione, aut ip-
sius domus, seu Hospitii eorundem pauperum
puerorum Litteratorum hujusmodi directione
quomodolibet constitutam, & deputatam, nec-
non quamcunque administrationem, & direc-
tionem penes quamcunque personam quavis aucto-
ritate, dignitate, aut præeminentia, ac etiam
Cardinalatus honore fulgentem, seu penes quos-
cunque administratores, & deputatos quovis
nomine, & titulo existentes, Apostolica aucto-
ritate perpetuò suppressimus, & extinximus,
omniaque, & singula domus, seu Hospitii
puerorum pauperum Litteratorum nuncupato-
rum hujusmodi sic suppressæ, & extinctæ; seu
suppressi, & extincti res, bona, Ecclesiam,
seu Cappellam, non tamen collativam, membra,
domos, dependentias, jura, privilegia, præro-
gativas, honores, & onera, necnon quoscunque
reditus, & proventus, obventiones, & emolu-
menta in quibuscunque rebus consistentia, &
undecunque provenientia, ac pertinentias uni-
versas, prædicto Hospitio Apostolico pauperum
invalidorum, ita quod pueri pauperes literati
nuncupati dictæ Domus, seu dicti Hospitii sic
suppressæ, & extinctæ, seu suppressi, & ex-
tincti, & dicto Hospitio Apostolico pauperum
invalidorum, ut infra aggregatæ, seu aggrega-
ti, non amplius sub eorum, & dictæ domus,
seu Hospitii sic suppressæ, & extinctæ, seu sup-
pressi, & extincti denominatione instituto, aut
regulis, vel statutis, seu ordinationibus; sed in
omnibus, & per omnia sub dicti Hospitii Apo-
stolici per Nos, ut præfertur, erecti nomine,
instituto, regulis, statutis, & ordinationibus
educarentur, dirigerentur, & viverent, cum am-
plissimis facultatibus, clausulis, cautelis, de-
cretis, & derogationibus latissimè extensis Apo-
stolica auctoritate motu, scientia, deliberatione,
& potestatis plenitudine similibus perpetuò as-
signavimus, applicavimus, & appropriavimus,
& respectivè aggregavimus, & incorporavimus,
& alias prout in nostra motus proprii cedula

Suppressio
Hospitii
Litteratorum
in via Cur-
fus, & in-
corporatio
Hospitii
Apostolici.

Eidem Hospitio Apostolico incorporat Hospitalis Sixtini, & hujus Administratores adjungit Congregationi gubernanti Hospitium Apolt.

sub datum quinto Idus dicti mensis Februarii ubi rursus continetur.

§. 8. Perpendentes etiam, nostram, & prefati Sixti Prædecessoris intentionem unam, & eandem fuisse, tollendi nimirum mendicationem ab Urbe prædicta, & verè mendicis subveniendi, ideoque ut pariter unum, idemque opus pium constitutur, & sic, ac una, eademque Congregatione administraretur, & gubernetur, iisdemque regulis, & institutis regatur, & dirigatur, illius felici progressui, & salubriori incremento contentum esse, & fore; Propterea motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus Hospitalis præfatum mendicorum ab eodem Sixto Prædecessore per ejus quinto Idus Maji Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octogesimo septimo, & Pontificatus sui tertio, & octavo Idus Septembris anno præfati Incarnationis millesimo quingentesimo octogesimo octavo, & ejusdem Pontificatus quarto, expeditas Litteras, fundatum, erectum, dotatum, & institutum, omniaque, & singula ejusdem Hospitalis mendicorum ædificia, Ecclesiam, Cappellanas inibi erectas, seu existentes, res, bona, & jura quæcumque, etiam patronatus, seu præsentandi, vel nominandi, membra, domos, dependentias, privilegia, prærogativas, honores, & onera, necnon quoscumque redditus, proventus, obventiones, & emolumenta quæcumque in quibusvis rebus consistantia, undecumque provenientia, & pertinentias universas quocumque nomine nuncupatas, etiam speciales, & individua nota dignas, memorato Hospitio Apostolico pauperum invalidorum, ita quod liceat eidem Hospitio pauperum invalidorum, sive ejus Congregationis, ejusque Rectoribus, Administratoribus, & Deputatis corporalem, realem, & actuale possessionem præfatorum dicti Hospitalis Mendicorum ædificiorum Ecclesiæ, Cappellaniarum, rerum, bonorum, & jurium quorumcumque membrorum, domorum, dependentiarum, reddituum, proventuum, obventionum, & emolumentorum quorumcumque, & pertinentiarum universarum, omniumque aliorum, ut præfertur, expressorum, per se, vel alium, seu alios propria auctoritate liberè apprehendere, & apprehensam perpetuò retinere, illaque locare, dislocare, arrendare, percipere, exigere, levare, & recuperare, & de eisdem liberè dispendere, illorumque omnium, & singulorum supradictorum fructus, redditus, & proventus, jura, obventiones, & emolumenta quæcumque in dicti Hospitalis Apostolici pauperum invalidorum ad formam præsentium constituti, & confirmati, & mediante præfati Hospitalis Mendicorum unione ampliati, in proprios usus, & utilitatem convertere, cujusvis licentiæ desuper minimè requisitâ, ita etiam quod pauperes utriusque sexus dicti Hospitalis Mendicorum per præfatos uniti sub præfati Hospitalis pauperum invalidorum per Nos, ut præfertur, erecti, & mediante hujusmodi unione ampliati, seu in unum redacti instituto, regulis, statutis, & ordinationibus in omnibus, & per omnia alantur, dirigantur, gubernentur, & vivant, earumdem tenore præsentium perpetuò, amplissimè, & plenissimè, & irrevocabiliter, omnibusque meliori, validiori, & efficaciori modo unimus, assignamus, applicamus, appropriamus, aggregamus, & incorporamus, ac unum, idemque Hospitium, opusque pium constituimus, & facimus. Cùmque præfatus Sixtus Prædecessor Hospitalis prædicti Mendicorum, ut præfertur unitum, in dictis prioribus ejus Litteris per quatuor Viros Clericos, aut Laicos idoneos, & probatos, duos nimirum à Populo Romano in publico Consilio, & reliquos duos à Confratribus Archiconfraternitatis Sanctissimæ Trinitatis Convalescentium, & peregrinorum, annis singulis eligendos, & deputandos, regendum, administrandum, & gubernandum statuerit, nec non Cameræ Apostolicæ Thesaurarium, & Commissarium Generales tunc, & pro

tempore existentes, & unâ cum præfatis quatuor Administratoribus, seu Deputatis salubri regimini directioni, & conservationi præfati Hospitalis pauperum mendicorum, illiusque officialium, Ministrorum, bonorum, & jurium, cum facultatibus inibi expressis deputaverit; Propterea unam, eandemque Congregationem utriusque loci, seu unius, ejusdem operis pii insimul incorporati, & in unum Hospitium pauperum invalidorum, ut præfertur, redacti, constituere volentes, infrascriptæ Congregationi pro Hospitio pauperum invalidorum constitutæ, præfatos Thesaurarium, & Commissarium Generales nunc, & pro tempore existentes, & quatuor viros à dicto Sixto Prædecessore pro regimine, administratione, & gubernio dicti Hospitalis pauperum mendicorum deputatos, seu, ut præfertur, deputandos, addimus, aggregamus, unimus, & incorporamus.

§. 9. Volentes, & mandantes, quod omnes pauperes utriusque sexus, & tam viri, & mulieres, quam pueri, & puellæ, licet juxta præfatum statum locali præfatorum Palatii Lateranensis, loci ad Pontem Sixtum, & alterius loci ad Ripam Tyberis magnam nuncupatam, habitatione distincti, & licet etiam aliter in posterum quoad locum, & modum habitationis distinguerentur, seu immutarentur, semper tamen unum, & integrale Hospitium Apostolicum pauperum invalidorum, idemque opus pium constituent, quod ab una eademque Congregatione gubernetur, & sub iisdemque fundatione, erectione, dotatione, instituto, & quibuscumque desuper jam statutis, & concessis, ac statuendis, & concedendis regulis, ordinationibus, gratiis, & privilegiis comprehendantur.

§. 10. Ne autem pii hujus operis finis, qui alias fuit, nunc est semper unus, & idem, mendicationem ab Urbe præfata, quoad fieri potest, arcendi, & vere pauperibus, qui nullum, vel saltem non sufficientem victum propriis labore, & industria, ut præfertur, sibi quaerere valent, amplius, vel in sui initio deficiat, prout præfatis Romanis Pontificibus, & præcipue Pio IV. & Gregorio XIII. qui certos redditus non constituerant, evenit, vel in sui progressu: desiderato hujusmodi saltem plenario, destituatur effectus, prout in præfato Hospitali Mendicorum à dicto Sixto Prædecessore, qui illud fundavit, & erexit, ac certos quidem, sed omnium Mendicorum sustentationi longè impares redditus assignavit; Decrevimus præfatum Hospitium invalidorum valde majori dote partim ex bonis, seu redditibus præfatorum Hospitalis, seu domus Puerorum Literatorum olim nuncupatorum, nec non Hospitalis Mendicorum, ut præfertur, unitorum, plerumque verò ex bonis, juribus, & redditibus per Nos, ut infra, assignatis, constabilire. Reditus autem, qui ex bonis, & juribus dictæ domus, seu Hospitalis Puerorum Literatorum olim nuncupatorum percipiuntur, ultra valorem ædificii, seu domus ubi illi habitabant, ascendunt ad annua scuta mille octingenta circiter; qui autem ex bonis, & juribus dicti Hospitalis Mendicorum percipiuntur, ultra ædificium, quod adhuc pro habitatione Pauperum deservit, ascendunt ad alia annua scuta decem mille circiter.

§. 11. Volentes itaque eidem Hospitio, ejusque perpetuæ subsistentiæ, & successive manutentioni, alterius majoris dotationis, seu subventionis ope consulere, iisdem motu, scientia, & potestatis plenitudine, centum millia scutorum monetæ Romanæ per Nos ex ejusdem Cameræ Nostræ fructibus cumulata, ad effectum illa in tot locis Montium dictæ Cameræ non vacabilem, vel in bonis stabilibus, seu censibus ad Nostrum, & Romanorum Pontificum Successorum Nostrorum arbitrium investendi, prout nuper in censu annui redditus scutorum trium millium fuerunt investita, necnon Burgum domorum in Oppido Nostrum Civitatis Vetulæ in loco

Non obstante locali distinctione habitationis, nam Lateranensem, & ad Pontem Sixtum, sit unum Hospitium

Deliberat augere redditus.

Enumerat fundos, & redditus, quos assignat.

vulgò nuncupato la Tenaglia, de mandato Nostro hæcenus edificatarum, & in posterum cum ejusdem Camera fructibus ædificandarum, cum omnibus, & singulis earum juribus, membris, & pertinentiis. Item quicquid omnibus Penitentiariæ Nostre oneribus, & expensis, ex emolumentis, juribus, fructibus, & obventionibus universis dictæ Penitentiariæ, seu Majori Penitentiario Nostro alias assignatis, & pro hac parte, seu summa alias reformatis, supererit, ascendentes ad annua scuta similia quinque mille circiter: Itidemque alia annua scuta duo mille ex elemosynis dispensationum matrimonialium, quæ alioquin in Pauperum subventionem integrè erogantur, fixè, & invariabiliter detrahenda, pariterque illam partem minorum servitiorum, quæ antè suppressionem venalitatæ Officiorum Cameralium dudum à Nobis factam, assignata erat in partem dotis, seu emolumentorum, vel reddituum Camera Nostre præfatæ Clericis Præsidentibus, ascendentem ad annua scuta duo mille circiter, Hospitio Apostolico Pauperum invalidorum hujusmodi purè, liberè, perpetuò, & irrevocabiliter, omni meliori modo donavimus, & assignavimus, prout in prædictis Nostro die quinta dicti mensis Februarii desuper confecto, & per Nos signato Chirographo, ac Instrumento in ejus executionem rogato, uberius continetur.

Contributio Archihospitalis S. Spiritus.

§. 12. In quo quidem Chirographo ulterius volumus, & mandavimus, quòd Domus, seu Archihospitalis Sancti Spiritus in Saxia nuncupatum de eadem Urbe, juxta oblationem ex ejus parte Nobis desuper factam, centum frumenti, & quinquaginta leguminum rubra ipsius Archihospitalis expensis ad Urbem præfatam transportata Hospitio prædicto Apostolico Pauperum invalidorum teneretur singulis annis contribuere.

Applicatio nonnullorum Officiorum.

§. 13. Per aliam insuper Nosram motus proprii cedulam sub Datum quinto Idus dicti mensis Februarii, unum Correptorie Archivii Romanæ Curie per suppressionem venalitatæ Officii Auditoris Camera Apostolicæ, illiusque restitutionem, & reunionem eidem Camera, seu Datarie Apostolicæ, aliudque Registri Literarum Apostolicarum de non salariatis nuncupat. & aliud Scriptorie Literarum Apostolicarum non divisi, & aliud S. Pauli, & aliud S. Petri, atque aliud Pii respectivè nuncupatorum Militum, necnon aliud Præsidentatus Annonæ, ac reliquum Portionis Ripæ Officia per obitum respectivè sic vacantia, cum omnibus, & singulis illorum honoribus, oneribus, salariis, juribus, & emolumentis solitis, & consuetis, tam ordinariis, quam extraordinariis, certisque, & incertis, etiam ex congregationibus, presentibus, & officiariis, ac alias undecunque, & quomodocunque provenientia, cum facultate deputandi personam, seu personas per Congregationem dicti Hospitii Apostolici ad effectum exigendi dictos fructus, & emolumenta quæcunque, necnon Congregationibus, & officiariis dd. officiorum interveniendi memorato Hospitio Apostolico Pauperum invalidorum Apostolica auctoritate perpetuò concessimus, assignavimus, & applicavimus.

Applicatio alterius summe.

§. 14. Ad hæc alia scuta undecim mille septingenta, & quinquaginta præfatæ monetæ Romanæ ex trium scutiferorum, unius portionis Curforum, duorum Lauretanorum, aliorum duorum Piorum, & reliqui Lili nuncupatorum officiorum, quæ per obitum illa possidentium nuper vacaverant, pretio retracta, necnon pretium ex officii Notariatus Magistrorum Viarum nuncupati pariter per obitum vacantis, venditione retrahendum in Banco Dilecti Filii Francisci Monthioni Nostri, & Camera prædictæ Depositarii Generalis in creditum memorati Hospitii Apostolici, & ad dispositionem Deputatorum ejusdem Hospitii, ad effectum illa, & illud in tot locis Montium, censibus, seu stabilibus pro hujusmodi Hospitio investiendi per aliud desuper confectam, & per nos die decima tertia currentis

mensis Maji signatum Chirographum cum derogationibus, & clausulis opportunis deponi mandavimus, prout dicta scuta undecim mille septingenta, & quinquaginta jam deposita fuerunt.

§. 15. Et nihilominus præmissis nostris motus proprii Cedulis, Chirographis, & Instrumentis harum serie majus robur, & pleniorē efficaciam adjicere volentes, illarumque, & illorum, nec non quarumcunque aliarum Litterarum Apostolicarum, jurium, documentorum, fundationum, & dispositionum cujuscunque denominationis, & speciei, quarum, & quorum mentio, expressio, seu insertio quoquo modo necessaria, vel opportuna fuisset, pro plenè, sufficienter, & de verbo ad verbum expressis habentes, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus præfatas nostras motus proprii Cedulas, Chirographa, & Instrumenta hujusmodi, omniaque, & singula in eis contenta, & expressa, non solum eo qui in dictis Cedulis, Chirographis, & Instrumentis continetur, sed omni alio meliori, validiori, & efficaciori modo, plenissimè, & amplissimè earundem tenore præsentium perpetuò confirmamus, approbamus, & innovamus, ac inviolabiliter, & inconcussè servari volumus, & mandamus, omnesque, & singulos juris, & facti defectus, etiam substantiales, si qui desuper quomodolibet intervenerint, seu intervenisse dici, censerì, aut prætendi possent, plenissimè, & amplissimè sanamus, & supplemus.

§. 16. Insuper volentes ad ejusdem Hospitii Apostolici Pauperum invalidorum, ut præfertur, erecti, fundati, & dotati, institutum, regimen, normam, & disciplinam procedere: In primis utriusque sexus verè pauperibus matrimonio non conjunctis, & corpore, vel ætate invalidis, sibi que propriis labore, & industria victum querere non valentibus, nec eos à quibus ali debent, & possent habentibus, viris nimirum, mulieribus, & puellis in præfatorum Palatii Lateranensis, & Domus ad Pontem Sixtum, juxta destinationem, & distinctionem in posterum arbitrio infra scriptæ Congregationis faciendam; Pueris vero in S. Michaelis ad Ripam Tyberis magnam nuncupatam, Hospitiis, seu locis præfatis, victum, similemque respectivè vestitum præstari volumus, & decernimus.

§. 17. Possit tamen quandoque aliquis conjugatus ad memoratorum Palatii Lateranensis, seu Domus ad Pontem Sixtum Hospitium admitti, ejusdem, & alterius conjugis separatim extra Hospitium vivere volentis, mutuo accedente consensu, nec non incontinentiæ periculo, & suspitione utrinque cessante, & juxta casum contingentias, & circumstantias præfatæ Congregationis arbitrio mature, & prudenter perpendendas. Pariterque possint ejusdem Congregationis arbitrio ad hujusmodi Hospitium admitti ambo conjugati similiter pauperes, & invalidi, quando sint senes, & cessante incontinentiæ periculo, & suspitione, maritus inter viros, uxor autem inter mulieres Hospitii præfati separatim, & castè vivere elegerint. Et nihilominus etiam pauperibus invalidis conjugatis, & infantibus, nec eos, à quibus ali debent, & possent habentibus, tamen extra hujusmodi Hospitium commorantibus, qui alias omnino mendicare cogentur, volumus, & decernimus esse alicujus elemosynæ subventionem succurrendum.

§. 18. At quia pauperum hujusmodi non corporibus solum, sed præcipue animabus consulere solertè intendimus, ut iidem in otiosa desidia, à qua plura peccata procedunt, non torpeant, & quo magis fieri potest, in pietate, & charitate proficiant, statuimus, & mandamus, quod omnes, & singuli, qui non sint prorsus inhabiles, ac præsertim pueri, & puellæ, quorum plerique non sunt corpore invalidi, sed ratione ætatis, &

Iterum confirmat præfatas assignationes, & alia

Forma providendi Pauperibus non conjugatis

De Conjugatis.

De laboribus corporalibus Pauperum

De operi-
bus spiri-
tualibus.

praesertim etiam sexus feminei, nequeunt sibi victum saltem honeste, seu sufficienter acquirere, & desidiose mendicanti addictos, seu addictas esse non convenit, debeant juxta qualemcumque cujuslibet aptitudinem ob beneficium Hospitii operari, salvo tamen Congregationis arbitrio aliquibus operantibus aliquam modicam portionem lucri ex opere cujusque illorum resultantis eis dimittendi.

De contra-
venientium
correctio-
ne, & pu-
nitione.

§. 19. Sed quia minus est mala non agere, nisi quisque studeat bonis operibus insudare, volumus etiam, & decernimus, quod omnes hujusmodi pauperes majori, quam fieri potest, charitate conviventes, Missae Sacrificio singulis diebus intersint, Sacramentalem Confessionem, & Eucharisticam Communionem diebus per Directores spirituales Hospitii Apostolici hujusmodi statuendis frequentent, ac quotidie precibus, & orationibus juxta horarium, ac regulas, & ordinationes desuper praescribendas, devotam operam impendant.

§. 20. Quoties verò pauperes hujusmodi eorum Instituto, disciplinae, seu regulis contraverint, seu ea, quae decet, submissione, Superioribus quibuscumque non paruerint, vel alias animadversione digni existimati fuerint, possit Congregatio praefata per se, vel per alios condignis, & opportunis poenis, etiam carcerationis, tum in Hospitii, ejusque locorum, & habitationum hujusmodi, tum in publicis carceribus ad bene visum tempus hujusmodi contravenientes, seu inobedientes coercere. Quod si iidem adhuc relabantur, vel alias incorrigibiles, seu ulterius non tolerandi existimati fuerint, debeant omnino nostri, & pro tempore existentes in spiritualibus Vicarius Generalis, alique Judices competentes ad instantiam Congregationis praefatae hujusmodi relapsos, incorrigibiles, seu amplius non tolerandos exilio, sub comminatione aliarum poenarum in casu contraventionis executioni demandandarum, multare, & coercere, vel alias juxta delictorum qualitatem condignis poenis afficere.

Contra de-
sidiosos
mendican-
tes Jurisdi-
ctio Emi-
nentissimi
Vic. & Gu-
bernatoris

§. 21. Quod si ii, qui verè pauperes, & invalidi in Hospitio hujusmodi, ejusque respectivè locis, & habitationibus commorari renuentes, vel abii, qui illos alere tenentur, & possunt, alii negligentes, vel pauperes, & invalidi non existentes, seu alias propriis labore, & industria juxta suam aptitudinem victum acquirere recusantes, seu non exquirentes, desidiosam vitam agere, & mendicare maluerint, debeant nostri, & pro tempore existentis Romani Pontificis in dicta Urbe Vicarius in spiritualibus Generalis, quoad mendicantes in Ecclesiis, earumque portis, seu porticibus, idem verò Vicarius, & dictae Urbis Gubernator, alique Judices competentes quoad mendicantes per eandem Urbem, tum ex officio, tum multò magis ad quancumque praefatae Congregationis hujusmodi Hospitii Praesidentis instantiam, eorum familiis armatis hujusmodi mendicantes carcerandos, & poenis carceris ad tempus exilii, aliisque eorum arbitrio coercendos curare, & ut hujusmodi mendicatio prorsus eliminetur, satagere, invigiletque praefatus pro tempore existens Urbis Gubernator, ut bannimenta contra vagabundos edita, & edenda, ac poenae in illis statuta, & statuenda omnino & solerter executioni demandentur.

Congrega-
tionis Hos-
pitii facul-
tas cogen-
dos ad a-
lendos In-
validos.

§. 22. Cum autem frequenter contingere possit, ut ii, qui pauperes, & invalidos alere tenentur, & possunt, idipsum indebitè adimplere recusent, seu ab iisdem pauperibus, & invalidis artari nolint, vel nequeant, invigilet etiam Congregatio praefata Hospitio Apostolico hujusmodi praeposita, ut iidem pauperes invalidi sola facti veritate inspecta, manu regia, & cum informationibus etiam extrajudicialibus à quibuscumque Judicibus competentibus, quibus ad hunc effectum necessariam, & opportunam facultatem imparti-

mur, ad hujusmodi alimenta praestanda omnino compellantur.

§. 23. Volentes praeterea pauperum invalidorum hujusmodi, nec non Ministrorum, & Officialium quorumcumque in praefato Hospitio, ejusque locis, seu habitationibus commorantium, ac etiam omnium, & singulorum de Congregatione hujusmodi Hospitii Apostolici praesidente existentium, devotionem coelestium Ecclesiarum thesaurorum largitione magis magisque excitare, & promovere, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis utriusque sexus praedictis, qui in Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Sanctissimae Trinitatis, & Corporis ejusdem D. N. Jesu Christi, nec non Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, & Nativitatis B. Mariae Virginis, ac Nativitatis S. Joannis Baptistae, nec non Apostolorum, & Commemorationis Omnium Sanctorum festivitatis, verè poenitentes, & confessi, & sacra communione refecti, pro Christianorum Principum concordia, heresum, & schismatum extirpatione, & Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem, quae etiam Animabus Purgatorii per modum suffragii applicari possit, praesentibus in perpetuum validis, misericorditer in Domino concedimus, ac etiam omnibus, & singulis praefatae Congregationis ubicunque decedentibus, nec non eis, quos in praefato Hospitio, ejusque locis, seu habitationibus, vel in Hospitalibus infirmorum, ad quae ab Hospitio, seu locis, & habitationibus praefatis ducti fuerint, decedere ab humanis contigerit, si verè poenitentes, & confessi, & sacra communione refecti, vel quatenus id facere nequeverint, saltem contriti, nomen Jesu ore si potuerint, sin minus, corde devotè invocaverint, in eorum mortis articulo, similiter plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem in perpetuum concedimus.

§. 24. Praeterea Pauperibus utriusque sexus hujusmodi in Hospitio praefato, seu ejus locis, vel habitationibus supradictis pro tempore degentibus, quorum infirmitas, vel nimium imbecillis valetudo, aut corporis habitudo jejunium, seu carni-um, & lactici-um abstinentiam ferre non poterit, ut de utriusque Medici consilio quibusvis Quadragesimalibus, ac Quatuor anni Temporibus, & Vigiliis, aliisque diebus, in quibus jejunium ab Ecclesia indictum, aut carni-um, ovorum, & lactici-um usus de jure, vel consuetudine, seu alias prohibitus existit, velfuerit, carnis, ovis, butyro, lactici-um, & aliis cibis prohibitis hujusmodi diuti, & vesci.

§. 25. Singulis quoque Presbyteris Secularibus, & cujusvis Ordinis Regularibus, qui ad hoc ab infra scripta Congregatione electi, & a praedicto in Urbe Vicario approbati fuerint, ut singulos Pauperes, Ministros, & Servientes hujusmodi Hospitii Apostolici à quibusvis excommunicationis, etiam majoris, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis, à jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, quibus innodati fuerint, nec non quibuscumque eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis, quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam talibus, de quibus dicta Sedes merito consulenda foret, videlicet in casibus tam Ordinariis locorum, quam etiam eidem Sedi reservatis, non tamen in iudicium deductis, neque contentis in Litteris in die Coenae Domini legi solitis, semel in ingressu dicti Hospitii Apostolici, & iterum ab omnibus supradictis, nullo prorsus excepto, in mortis articulo, confessione tamen eorum diligenter audita, in foro tantum conscientiae absolvere, injuncta inde eis pro modo culpae suo arbitrio poenitentia salutari, perpetuò concedimus, & indulgemus.

Indulgentia pro
existentibus de
Congrega-
tione Hos-
pitii.Indultum
vescendi
pro Infirmis,
&
debilibus.Indultum
ut absolvi
possint à
reservatis
& censuris

Alia Hospitalia teneantur acceptare infirmos Hospitii.

Morientium in alio Hospitali vestes restituantur Hospitio.

Sacramenta ministranda à Parochis, in quorum districtu est habitatio.

Decedentes sepeliendi in sepulchris propriis absque Parochorum emolumento.

Obligatio mendicandi ad fores Ecclesiarum.

Quod superest convertendum in Dotes Puellarum.

Puellæ Hospitalii habitantur ad subsidia dotalia pia.

Habilitantur etiam ad Nationalia cum dispensatione super requisitis.

Congregatio pro regime stabilitur

§. 26. Quotiescunque autem Pauperes in huiusmodi Hospitio, ejusque locis, & habitationibus degentes ægrotare contigerit, ad Nosocomia ejusdem Urbis pro pauperibus ægrotis erecta, & destinata, quæ illos juxta eorum instituta omnino recipere debeant, transmittantur, quique convalescant, iterum in Hospitio, ejusque loca, & habitationes præfatas reducantur, ita ut accessus, & recessus huiusmodi curribus dd. Nosocomiorum, ut in aliis similibus ægrotis servari solet, peragatur.

§. 27. Defunctorum verò vestimenta à Nosocomiis, in quibus illi ab humanis decellerint, Hospitio Apostolico præfato promptè, & fideliter restituantur.

§. 28. Cæterum ægrotis, si quos ad Nosocomia ab Hospitio, ejusque locis, & habitationibus huiusmodi transportari non posse aliquando contigerit, Ecclesiæ Sacramenta à Parochis, in quorum districtu idem Hospitium, ejusque loca, & habitationes sita existunt, vel ab aliis de eorundem Parochorum licentia ministrentur.

§. 29. Illorum verò cadavera, qui in Hospitio Lateranensis decederent, in cimiterio Hospitalis ad Sancta Sanctorum, quos verò in locis præfatis ad Ripam Magnam nuncupatam, seu ad Pontem Sixtum mori contigerit, in earundem Ecclesiarum sepulchris, & cæmeteriis interim constructis, aut construendis respectivè, absque ullo Parochorum emolumento sepeliantur.

§. 30. Utque ingentibus expensis, quæ tanto Operi necessariae sunt, aliquantulum suppleatur, volumus, mandamus, & Apostolica auctoritate Hospitio præfato concedimus, & indulgemus, ut pauperes prædicti, vel in Hospitio conviventes, vel extra illud, ut præfatur commorantes, habitum tamen Hospitalii gestantes, & à Congregatione ad hunc effectum eligendi, elemosynas ad portas Ecclesiarum, & in aliis locis benevisis, nunquam tamen intra Ecclesias, ad beneficium præfati Hospitalii, ejusque pauperum alimoniam modeste quæstulare, nedum possint, sed debeant, nec à tali quæstuatione desistatur, seu recedatur, etiam si reditus huiusmodi Hospitalii omnium pauperum invalidorum manutentioni sufficientes, imo excedentes quoquo modo acquirerentur.

§. 31. Quicquid enim unquam Deo dante huiusmodi manutentioni superesse contigerit, in dotationem puellarum, quæ in Hospitio præfato laudabiliter convixerint, arbitrio Congregationis præfate erogandum, & convertendum esse, & fore decernimus.

§. 32. Ac ne eadem puellæ subsidiorum dotallium, quæ à Confraternitatibus, locis, & personis piis Urbis præfate uberrimè dispensantur, remaneant expertes, ut illæ omnibus, & singulis indultis, facultatibus, & privilegiis puellarum aliorum Conservatoriorum, locorum, & domorum piarum ejusdem Urbis ad huiusmodi subsidia assequenda quomodolibet habitantibus, perinde ac si ipsi, seu memorato Hospitio Apostolico nominatim concessa fuissent, uti, frui, & potiri perpetuò valeant, motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus indulgemus.

§. 33. Et nihilominus easdem præfati Hospitalii puellas ad quacunque subsidia dotalia etiam Nationalia obtinenda, tamen in eorum propriis, seu particularibus domibus, vel in regionibus, quarum puellis distributio subsidiorum huiusmodi aliquibus, vel singulis annis destinata sunt, non habitent, seu requirant, vel ex dispositione fundatorum, benefactorum, aut largitorum, vel ex quacunque etiam inveterata consuetudine, vel ex quibuscvis statutis, vel Constitutionibus Apostolicis præscripta non habeant, similibus motu, scientia, & potestatis plenitudine etiam tenore præsentium amplissimè, & plenissimè, præmissis, & aliis non obstantibus, habilitamus, & dispensamus.

§. 34. Ac insuper, ut huiusmodi Hospitalii pauperum invalidorum perpetuæ conservationi, felici re-

gimini, & salubri progressui, & incremento, majori, qua fieri potest diligentia, & attentione sit opportune consultum, Congregationum, partim ex Romanæ Curie Prælati, partim ex aliis Viris, omnibus virtute, charitate, pietate, rerumque experientia præstantibus compositam, atque additione, & incorporatione præfatorum Camerae nostræ Thesaurarii, & Commissarii Generalis, & quatuor pariter probatorum Virorum, ut præfatur, adactam, & in unum redactam, qui tamen quatuor Viri non amplius ad annum, sed in futurum ad instar cæterorum pariter ad nostrum, & Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrium sint, & intelligantur deputati, præcimus, deputamus, & constituimus, seu jam præfectam, deputatam, & constitutam, & ut præfatur, adactam confirmamus, & innovamus, ut huiusmodi Congregatio pro tempore existens, & nostro, nostrorumque Successorum Romanorum Pontificum arbitrio renovanda, confirmanda, seu constituenda, perpetuis futuris temporibus circa ea, quæ Instituti huiusmodi observantiam, animarum salutem, corporum alimoniam, rectamque Hospitalii normam, & disciplinam, nec non æconomicam administrationem, rerumque, bonorum, & jurium conservationem, & defensionem, providam Ministrorum, & Officialium, etiam Sacerdotum, & tam Regularium, quam Secularium electionem, distributionem, & amotionem, salva tamen quoad Regulares erga eorum Superiores obedientia, & quamcumque tum spiritualium, tum temporalium superintendentiam, directionem, & administrationem concernunt, in Domino præsideat, solerter invigilet, & incunctanter incumbat, eidemque Congregationi quacunque Statuta, Ordinationes, Constitutiones, & regulas, licitas tamen, & honestas, sacrisque Canonibus, & Decretis Sacri Concilii Tridentini non adversantes, condendi, & faciendi, ac conditas, & factas toties quoties opus fuerit, corrigendi, mutandi, reformandi, & alia de novo faciendi, opportunam, & amplam facultatem concedimus, & impartimur.

§. 35. Quæ quidem Statuta, Ordinationes, Constitutiones, & regulæ sic conditæ, correctæ, mutatæ, reformatæ, & de novo factæ, postquam per Nos, & Romanum Pontificem pro tempore existentem approbatæ fuerint, ab omnibus, & singulis, quos illa, & illæ concernunt, inviolabiliter observari volumus, ac juxta eorum & earum dispositionem, & tenorem à quibuscvis etiam Judicibus, & Superioribus, sublata aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere.

§. 36. Postremò Christi fideles majori quo possimus animi affectu hortamur in Domino, ut piissimo huic, & saluberrimo Hospitio, pro cuius perpetua conservatione, & successiva manutentione ingens, & prompta impensa, & maxima dos requiritur, & cuius facultates, & reditus quo magis augmentur, eo magis multiplicatur numerus pauperum alendorum, & ampliantur opera charitatis, elemosynis, & bene visis largitionibus manus porrigant adiutrices, centuplum in æternis Coeli Tabernaculis feliciter recepturi.

§. 37. Decernentes, easdem præfentes Litteras, & in eis contenta quacunque, etiam ex eo quod omnes, & singuli supradicti, ac alii quicunque in præmissis quomodolibet jus, vel interesse habentes, seu habere prætendentes, cuiuscvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis, etiam Cardinalatus, seu alia specifica, & individua mentione, & expressione digni existant, iisdem præmissis, eorumque singulis non consenserint, nec ad ea vocati, seu auditi fuerint, tamen suorum indultorum, vel privilegiorum vigore consentire, seu vocari, & audiri semel, vel pluries quoquo modo debuissent, aut ex alia quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in Corpore Juris clauso, ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis Nostræ, vel interesse ha-

cum facultate concedi ita-tuta, & aliis facultatibus.

Statuta approbata à Pontifice observentur, & juxta ea judicentur.

Hortatio ad Fideles pro elemosynis ad favorem Hospitalii.

Decreta roborantia.

bentium consensu, alioque quolibet, etiam quantumvis magno, ac formali, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, in controversiam revocari, ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperiitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcunque juris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari nullatenus posse, sed semper, & perpetuo validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, integros, irrevocabiles, & perpetuos effectus sortiri, & obtinere debere, & ab omnibus ad quos spectat, & pro tempore quodocunque, & quomodocunque spectabit, inviolabiliter observari.

Clausula
sublata.

§. 38. Sicque, & non aliter per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos quavis auctoritate, praeminentia, aut potestate fungentes, & futuros, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, praefatae Camerae Thesaurarium, & Clericos Praesidentes, & S.R.E. Cardinales, etiam de Laterale Legatos, Sublati eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari, & definiti debere; Irritum quoque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Deroga-
tiones
etiam cum
commuta-
tione vo-
luntatum.

§. 39. Non obstantibus praemissis, ac quorumque Testatorum, Fundatorum, & Piorum Largitorum etiam ultimis voluntatibus, quas quoad praemissa sufficienter, & expresse commutamus, & quatenus opus sit, nostra, & Cancellariae Apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, nec non Lateranensis Concilii novissime celebrati, uniones perpetuas nisi in casibus a jure permixtis fieri prohibentis, prout etiam praefatis Sixti Praedecessoris, nec non fel. rec. Symmachi, Pauli II. Pauli IV. & aliorum Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum de rebus Ecclesiae, & Camerae Apostolicae non alienandis, & de alienatis recuperandis, itidemque praefati Pii IV. de gratiis quaecunque interesse praefatae Camerae Apostolicae concernentibus in dicta Camera intra certum inibi praescriptum tempus praesentandis, & registrandis, ita ut praesentes in ea praesentari, & registrari nullo unquam tempore, vel modo necesse sit, nec non aliis quibuscunque Apostolicis, ac etiam in Generalibus Conciliis editis, & edendis Constitutionibus, Ordinationibus, ac Urbis Nostrae, & quorumcunque superius explicitè, vel implicitè nominatorum, & comprehensorum, quibuscunque etiam juramento, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, usibus, styliis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, indultis, etiam in limine foundationis, seu dotationis concessis, sub quibuscunque verborum tenoribus, & formis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, & cum quibuscunque, etiam derogatorium derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, & decretis in genere, vel in specie, & ad quorumvis instantiam, vel aliis quomodolibet in contrarium eorumdem praemissorum concessis, ac etiam pluries approbatis, confirmatis, iteratis, & innovatis; Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut quaecunque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, occasiones & causas, etiam quantumvis praegnantibus, piis, & privilegiatis, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & inferrentur, iisdem praesentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis, & exactissime adductis respectivè habentes, illis aliis in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum harum serie specialiter, & expresse, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus, plenissime & sufficienter hac vice dumtaxat derogamus, & derogatum esse volumus,

& mandamus, ceterisque contrariis quibuscunque.

§. 40. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum Erektionis, Foundationis, Constitutionum, approbationum, confirmationum, innovationum, roborationis, destinationis, assignationum, stabilimenti, concessionum, applicationum, unionum, approbationum, aggregationum, incorporationum, additionis, voluntatum, mandatorum, sanationis, suppletionis, decretorum, statuti, indultorum, praefactionis, deputationis, commutationis, & derogationis, aliorumque praemissorum infringere, seu ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo nonagesimo tertio, tertio decimo Kalend. Junii Pontificatus Nostri Anno Secundo.

J. F. CARD. ALBANUS.

B. Card. Prodaturus

Visa de Curia J. Sacripantes.

D. Ciampinus.

Loco + plumbi

Registrata in Secret. Brevium.

Anno a nativitate D. Nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo tertio, Indictione prima, die vero vigesima mensis Maji, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris & Domini Nostri, Domini Innocentii Divina providentia Papa XII. Anno Secundo, Supradictae Literae Apostolicae affixae, & publicatae fuerunt ad Valvas Ecclesiae S. Joannis Lateranensis, Basilicae Principis Apostolorum, & Cancellariae Apostolicae, in Aetate Campi Florae, ac in aliis locis solitis, & consuevis Urbis, per me Antonium Canonicum ejusdem Sanctissimi D. N. Papae Cursorem.

HIPPOLITUS PETRETTUS Curs. Magister.

Exemptio Fratrum Ordinis Sancti Joannis Dei à Processionibus publicis.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Injuncti Nobis cœlitus Pastoralis Officii sollicitudo Nos admonet, ut paternam Christifidelium Altissimi obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatorum, uberisque bonorum operum fructus, benediciente Domino proferre jugiter satagentium, curam gerentes, ne ipsi à salutaribus, quibus juxta laudabilia eorum instituta continenter incumbunt Christianae Charitatis ministeriis nullatenus avertantur, quantum Nobis ex alto conceditur, providere studeamus.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit Dilectus Filius Superior Generalis Ordinis Fratrum Sancti Joannis Dei, quod tamen dudum felicit recordationis Urbanus VIII. Praedecessor Noster per quasdam suas in simili forma Brevis Literas omnia, & singula per Sedem Apostolicam Congregationi Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis eatenus concessa, vel quae in futurum concedi contingeret, privilegia, inter quae illud praecipue recensetur, quod Clerici Regulares praedicti, ut liberius, magisque assidue aegrotis operam

Sanctio
poenalis.

Dat. 20.
Maji 1693.
P. A. 2.

Publicatio

XXXIX.

Procedi
à fine non
distrahen-
di Religio-
sos à cura
infirmorum.

Religiosi
S. Joannis
Dei per
communicationem
exultabant
se exemptos
à processio-
nibus.

navent,